

suburbium, vel partem ejus aliquam, vel jus dividant, permutive, aut alicui donent, aut quocumque titulo denique abalienent: propterea quod hoc ipsum suburbium, et ædes situm sitasve intra portam muri Ficulnæ, qua via ducit ad sacrosanctum Martyrium sanctæ Theclæ, per omnia et perpetuo velim permanere in familia mea, neque unquam de meo nomine egredi. Volo autem et jubeo, si quidem eveniat, ut gloriosissimus nepos meus Hierius vel intra pubertatem, vel etiam post pubertatem sine liberis tamen legitimo matrimonio procreatis moriatur: ut ejus suburbii sive ædium possessio simul et proprietas perveniat, et deferatur, aut restituatur magnificentissimo patri ejus Constantino sub eadem conditione, ne⁵ unquam de familia meoque nomine abalienentur. His ita confectis ipsum quidem e rebus humanis abiisse, Hierium vero gloriosæ memoriæ domum quidem Theopoli sitam, quæ successione paterna ad ipsum pervenerat, aliis personis vendidisse: ipsam autem domum, quæ in hac alma urbe est, et insuper suburbium, quod illi codicillo datum erat, in quibus omnibus interdicta fuerat alienatio, ad Constantem gloriosæ memoriæ filium suum transmisisse. Illumque rursus prægnante uxore relicta vitam finisse: scripto prius testamento, in quo disposuerit, ut si puer vel natus non esset, vel natus ante pubertatem mortuus esset: tam gloriosissima ejus mater Maria, quam in clyta etiam uxor ejus altera Maria ad successionem ejus vocarentur. Postea vero quam nata filia in ipsa infantia et teneram adhuc ætatem agens, humanis rebus excessit: cum reliquam substantiæ partem, tum etiam domum in ampla hac urbe, et insuper suburbium, quod expressis verbis Hierio gloriosæ memoriæ in codicillo relictum fuit, ad inelytas mulieres devoluta esse: meritoque tam ex testamento, quam ex verbis codicilli, domum juxta et suburbium vindicandi sibi locum datum, utpote qui solus hoc tempore ex Hierii gloriosæ memoriæ liberis superstes permanserit, et primum gradum in nomine familiæ obtineat. Verum qui pro Maria et Maria gloriosissimis feminis faciebant verba, hi aiebant, neque testamento verbis ullum locum factum esse. Neque enim Constantem gloriosæ memoriæ absque liberis ex rebus humanis abiisse, ut utramque ædium restitutioni locus sit. Sed neque suburbii nomine rite secundumque leges Alexandrum gloriosissimum virum hæc adoriri: cum et ipse suburbium, quod ipsi relictum fuerat, in quo communis pater æque, ut in cæteris, alienationem illi prohibuit, ante id tempus alienaverit: sed et alios fratres idem hoc fecisse. Et leges nostras, siquidem omnes ordine, in quibus hujusmodi aliquid definitum sit, defuncti voluntatem transgrediantur: ex æquo omnibus restitutionem adimere: ne si vicissim alter alterum mutua petitione in jus vocent, multis in una causa subdantur judiciis, legesque de hoc propositas nobis revocantur in memoriam. Alexander autem gloriosissimus vir recte se actionem intentare aiebat, et maxime de utrisque ædibus: defunctum enim satis manifeste suam in codicillo sententiam de iis rebus declarasse, cum res familiæ conservari voluerit: sed multo justioribus se rationibus inniti in suburbio. Neque enim recte illas sibi alienationem exprobrare, cui ex imperiali jussione hoc facere indultum fuerit. Ac prolixius in ea causa disputationibus utraque pars usa est, nunc testatoris interpretando voluntatem, nunc nostras usurpando leges, quam in rem quæque suam facere arbitrabatur.

CAP. I.

Nos igitur cum et legum, et testamenti interpretationem perspectam haberemus: non nuda sententia, sed lege ejus causæ decisionem complectendam duximus, simul ut præsentem dirimeremus controversiam, simul ut cæteris movendæ de his contentions ansam præriperemus. Unde subtilius pariter et exactius testamenti verbis innixi, deprehendimus ipsi quidem filii hereditatem capessentibus alienationem interdictam, si sine liberis viâ functuri essent, non ulterius vero his etiam qui eis filii succederent: sed contentum fuisse defunctum, si inter filios duntaxat alienationis interdictum constitueret: neque enim si et ipsi relictis filiis decederent, majore ipsum cura perquisivisse, cui aut quomodo res relinquere: nec voluisse alienationis interdictum ultra filiorum vitam extendere. Enimvero codicillum, qui de suburbio duntaxat factus fuit, interdixisse his etiam, qui ex testamento gloriosæ memoriæ Hierii (de juniore loquimur) res per successionem cepissent, ne suburbium alienarent, et quod consequenter inducitur, in his quoque defunctum voluisse, ut id perpetuo in familia permaneret. Et quidem quæ in controversiam deducta sunt, ejusmodi fuerunt.

CAP. II.

Nos vero cum totam causam cum diligentia qua decet penitus intueremur: in aliis quidem rebus, quarum sane Constantinus gloriosæ memoriæ

5. *Fac. I.* 77, § 27; L. 58, § 15, D. de legat. 2: N. 119, c. 11; N. 150, c. 9. — 6. *Adde I.*

moræ, Hierii senioris filius, ex paterni testamenti tabulis dominus factus fuit, præclare nullam questionem excitandam rati sumus, arcendumque in his actione, non solum Alexandrum gloriosissimum virum, sed etiam omnem reliquam familiam: cum et testamenti verba prohibitionem inter solos constituant filios: et ipsi gloriosæ memoriæ Hierii filii, per quos qui post eos illius familiæ portio extiterunt, Hierii sibi jura vindicant, nonnullas apud se constitutas res alienaverint, perinde quasi ex una voluntate substitutionem interdixerit: quod autem ad suburbium attinet, cujus dominum codicillis ostendit esse gloriosæ memoriæ Hierium, præter modum scrupulosa nobis diligentia plenum visum est, si post quatuor demum generationes hujusmodi questionem produceremus in medium. Nunc certe cum Maria et Maria gloriosissimæ feminæ etiamnum supersint, quas alicubi et ipsas nostræ leges in familiam reponunt, ut quæ sponsas quoque hac appellatione dignentur: neque recte, neque ordine Alexander gloriosissimus vir item a se pretensam instituit. Quin ut maxime hæc decessissent: tamen quod quatuor jam generationes præterisse viderent, haud sustineremus tam obsoletam causam denuo tradi judiciis, et maxime cum Constantis filia in pupillari adhuc ætate vitam finierit. Unde tametsi testamentum ille non conficisset, suburbium tamen ad matrem ejus pervenisset: non ipsa pupilla, sed ipsa quodammodo lege horum causa existente: quamvis nemo successorum gloriosæ memoriæ Hierii circa voluntatem ejus deliquisset. Licet enim Constantis, cum testamenti tabulas conscriberet, substitutiones quasdam fecerit, filia intra pubertatem mortua: nihil tamen inde excellens introducitur: cum et ipsa lex pupillæ substantiam matri, quasi ea sine testamenti tabulis decessisset, per se præbita esset.

CAP. III.

Sancimus igitur, ut neque gloriosissimus vir Alexander, aut ejus filii, neque reliqui senioris Hierii gloriosæ memoriæ liberi, neque alius quicumque omnium qui genus suum in eorum familiam referunt, vel Mariam et Mariam gloriosissimas feminas occasione rerum apud ipsas consistentium, vel alios apud quos aut hoc tempore res existant, aut ad quos sequente tempore perventuræ sint, in⁶ quibus alienationem forte Hierius gloriosæ memoriæ prohibuit, adorianur judicio, aut omnino mentionem de cætero prohibitis et familiæ nominis faciant, et aliquid sibi exinde jus adquirant: utpote cum et alii Hierii gloriosæ memoriæ filii res suas abalienaverint, et reliquorum quodammodo alienationibus consenserint, ac per has, neque non alias, quas prædiximus rationes, quæ ad hujusmodi judicationem et legislationem abunde nobis sufficiunt, sibi pariter, et successoribus suis actiones, quæ ipsis potuissent competere, sustulerint. Atque hæc non tantum præsentis causæ decisio esto, sed et reliquarum in quibus hujusmodi prohibitive facta, tot successiones præterierint, et ultimis heredum per interventionem aliquem in medio impuberem hereditatem capessat. Tunc enim his etiam, qui sunt extra familiam ejus, qui primus prohibuit, per præsentem nostram legem transmittendarum rerum licentiam habeat. Si quidem in commune hanc legem, tam de præsentis casu, quam de omnibus post hæc futuris ad eum modum prohibitionibus protulimus, simul contentionem componentes, quæ hoc tempore evenerat, simul (ut probabile est) futuras præcidentes.

EPILOGUS.

Quæ igitur nobis placuerunt, et per hanc sacram declarantur legem, ea proponere gloria tua in alma hac urbe, et effectui ac fini tradere studeto, atque observari præcipito.

TIT. XLIII.

EXEMPLUM SACRÆ PRAGMATICÆ FORMÆ DE USURIS.

NOVELLA CONSTIT. CLX.

Imp. JUSTIN. AUG. PAPIO.

PRÆFATIO.

Aristocrates prudentissimus Aphrodisiensis reipublicæ pater, qui que immobilia in ea possident, supplices nobis facti sunt, aientes prædictam civitatem, etc. Ac principio quidem illud cognoscimus, quod plerique leges nostras ita accipiunt atque intelligunt, ut unde minime conveniat, inde injustarum ipsis actionum ansas præbeant. Si quidem a patre reipublicæ edocti fuimus, quod cum bene magna auri summa Aphrodisiensium

67, D. de acquir. rer. domini. — 7. L. 77, § 27, D. de legat. 2: L. 11, C. de fidei commissis.

reipublicæ ex legalis a nonnullis civitati relictis collecta esset, ne quando ea deperiret: quidam eorum qui in republica cum potestate erant, eam auri summam collocaverunt, ut quamdiu id auri apud ipsum resideret, tandiu qui suscepisset, quoquo anno pro eo civitati deperderet (sive quis id pactum, sive redditum, sive etiam usuram¹ appellare velit) quantum ferre civitatem æquum esset. Eos vero, qui aurum susceperunt, postquam constitutionem protulimus, ne creditoribus permittatur, ut debitum ultra² duplum exigere, sed hoc ipso duplo contenti sint, sane legatum civitati deperire, et tam calefactiones balnearum publicarum, quæ exinde fieri soleant, injuria affici, quam opera publica per legem nostram labefactari, et illorum interpretationem vitium adferre reipublicæ.

CAP. I.

Ut igitur omnia hæc et nostra expellamus republica, sancimus, ut qui id auri perceperunt in hoc, ut pensionem aliquam pro eo persolvant reipublicæ singulis annis, quo ad illud penes se aurum habuerint, inferre compellantur id quod pro eo se illaturos constituerint, haudquaquam sacra nostra ad hoc constitutione usurpata. Illam etenim de creditoribus conscripsimus, et qui in ea comprehenduntur, casibus. Præsens vero species illam non attingit: siquidem hoc magis annuo redditui, quam usurarum prestationi simile videtur; nos autem ex æquo civitatum curam gerere oportet, ut rerum fiscalium. Quod si quis post hanc præsentem nostram formam aliter ea quæ a nobis lege promulgata sunt acceperit, et defraudare civitatem dato auro voluerit: et pro universo tempore, quantum debet, civitati persolvat, et præterea reddet duplum: ut malitiosæ interpretationis justam retributionem percipiat: propterea quod cum in manu illi esset, ut bonum se perhiberet civem, ita improbus est, ut quæ illam in lucem proflerit, eam non dubitet afficere injuria.

TIT. XLIV.

DE¹ PROVINCIARUM PRÆSIDIBUS.

NOVELLA CONSTIT. CLXI.

PRÆFATIO.

Nos tantum decenter leges ferre summo bono est, sed etiam sancta accurate custodire², et ad effectum deducere transgressoresque compellentes penes subjicere. Quæ enim legum erit utilitas, si in literis duntaxat consistant, non etiam per ipsa facta atque opera subditis utilitatem de se præbeant? Ac scimus, quidem, quam vehementer majestas imperatoria collatorum curam gesserit, cum aliquoties definitur, ut provinciarum præsidem officia gratis³ suscipiant: quo magis et ipsi, cum pure his utantur, æquum et bonum subditis impertiantur, et ex collatorum incoluntate omnium rerum copia abundet reipublica. Sed hæc quidem per immodicam avaritiam eorum, qui officia redimunt potius, quam suscipiunt, devicta paulatim in oblivionem devenerunt.

CAP. I.

Nos autem de his propositas leges renovantes, sancimus, ut illi magistratum gerant, qui et bona existimatione noti sunt, et in exercenda justitia plurimum reposerunt sollicitudinis. Sed et ut citra ullum munus et largitionem magistratus suscipiant. Item ut tam collatores incolumes indemnesque conservent, quam publica⁴ tributa diligenter expendant. Præterea ut neque per se, neque per adsores suos, aut cancellarios⁵, domesticosve aut quempiam eorum, qui ad ipsos pertineant, quidquam a subditis accipiant, nisi in quadruplum velint, (ut leges loquantur) quod ab ipsis acceptum est, dependere: sed contenti his sint, quæ lege ipsis deputata sunt e publico. Simulatque magistratu abierint, ut per solennes quinquaginta⁶ dies in provincia assideant, sub publico versantes conspectu, et omnibus actionem intentare volentibus respondeant. Lite vero intra quinquaginta dies non finita, si quidem pecuniaria sit, procuratorem dato: sin vero criminalis ad terminum usque causæ permanet his, qui in causa judicant (sive magistratus sint, sive a præfectis dati) nisi intra viginti dies, quam initium cœperit, eam litem finierint, decem libras auri multandis: lite nihilominus secundum prædicta procedente. Si qui enim mala conscientia stimulat, vel clam aufugerint⁷, vel ad sacras⁸ ades decurrerint: substantia exident, secundum legem pro modo admissorum inter injuria affectos dividenda. Et quemadmodum

TIT. XLIII. — 1. L. 24, D. de præscript. verb.: L. 30, pr. D. de adimend. vel transfer. legat. — 2. N. 121, N. 128.

TIT. XLIV. — 1. *Adde* N. 95: N. 128. — 2. N. 135, c. 4; L. 2, § 15, D. de orig. jur. — 3. N. 8. — 4. d. N. 8, c. 8. — 5. L. 5, L. 5; L. 8; C. de assessoribus. — 6. d. N. 8, c. 9. — 7. N. 53, c. 4; L. 15, C. de probationibus; *adde* L. 25, D. de SC. Silan. — 8. *Fac.* N. 17, c. 7; N. 129, c. 13.

precedens de hoc constitutio et ex una parte, prout antea lege⁹ comprehensum est, stiterit: quæ pro collatoribus introducta sunt, ea firma permanento; permanentibus videlicet et aliis firmis, quæ ad collatorum utilitatem de præsidibus pulchre a majestate sancta sunt imperatoria. Quemadmodum autem eos, qui hæc perperam in se admittunt, punimus: ita et eos, qui per hanc causam contra interdictum aliquid ab ipsis accipiunt¹⁰, restitutioni quadrupli subjicimus.

CAP. II.

Atque ut hæc ita caveremus lege, ex eo nobis in mentem venit, quod pluris a nobis sit subditorum opulencia et medela, quam reditus qui exinde inferuntur imperio. Contrahimus enim una cum largitionibus præsidum in aretum ipsa etiam suffragia, quæ imperialibus inferebantur rationibus, et magnum reddebant pecuniarum cumulum: quo magis hac causa et reipublica meliore successu potitur, et locupletior redeat, aliquot retro temporibus a nonnullis excogitatis prestationibus liberata. Una enim hæc res potentie nostræ studio est, ut provincie et bonis gubernentur legibus, et tuto inhabitentur, neque non ex præsidum justitia fructum capiant, et tributa publica sine querela inferantur: neque enim aliter conservare licet reipublicam nisi¹¹ pientissimæ præstationes impotentur in publicum, ex quibus et militares nutriuntur copie, ut resistatur hostibus, et per agros ac urbes agantur exubiæ: perfruuntur item reliqui ordines adtributis sibi salariis, reparantur quoque muri et urbes, denique omnia alia proveniunt, quæ communem subditorum utilitatem concernunt.

EPILOGUS.

Quæ igitur nobis placuerunt, et per hanc sacram declarantur legem: ea gloria tua in alma hac urbe consuets locis proponet, sed et solitis usajussionibus mittet per provincias: ut omnes intelligant, quantum nobis reipublica simul et subditorum nostrorum incoluntitas curæ sit.

TIT. XLV.

SACRA FORMA TRANSMISSA DOMINICO GLORIOSISSIMO PRÆFECTO, DE DIVERSIS CAPITULIS.

NOVELLA CONSTIT. CLXII.

Antonio Contio interprete.

Percontata nos est tua gloria de quibusdam controversiis apud disertissimos ejus quod apud Illyrios est fori causarum certatores, quæ quidem dixisti nostra judicatione egere, ut non perpetuo dissentiant.

CAP. I. De donationibus.

Primum igitur capitulum tale erat: Mulier quædam super his quæ ei a conjuge donatæ fuerant rebus, non tamen tradite, volebat mortuo viro et qui silentium egerat super donatione, res persequi, ut domina harum tam donatione quam silentio viri facta. Opponebatur a detentoribus, exceptionem ipsam solam habere conventam, si detineret, non tamen et ab alio posse ipsa vindicare. Quod igitur controversum fuit, tale erat. Nos vero recordati sumus constitutionis¹ nostræ, dicentis, donantem, et si non sit stipulatus traditionem, necessitatem habere tradere donatum. Non enim ad defraudationem, neque ut literæ sint nudæ, interpositum convenit conficere instrumentum. Animum quoque advertimus et ad Cincie legis veteris legislationem (quam beneficiens a sua legislatione removit dudum reipublica) talia lege includentem seu tractantem, qualia in præsentii controversia fuerunt. — § 1. Et sancimus: Si quemadmodum prius a nobis dictum est, perfecte omnia se habeant ea quæ ad talem donationem pertinent: tam secundum mensuram, quam secundum insinuationem, valere ipsam ex modo omni, per viri silentium illico ab initio, (secundum nostram constitutionem) ex quo facta fuit, ita² ut quamvis postea vir in hypothecam dederit rem, vel in pignus tradiderit, non tamen præalienasse videri ipsum, quamdiu superstes erat, silentem, et traditionem ipsam (sive intervenit) dare ipsi exceptionem, sive non intervenit, præbere et exactionem, si³ quidem stipulatio intervenit, per ex stipulato: sin minus per ex lege condictionem ad consequendum id quod donatum est. — § 2. Et illud etiam constituere justum duximus: ut si quidem insinuatæ fuerint ab initio donationes in gestis, omnibus modis ipsas silentio confirmari. Si vero minime insinuatæ manserint, excesserint silentio confirmari. Si vero minime insinuatæ manserint, excesserint silentio mensuram indigentem insinuatione, usque⁴ ad tantum dun-

— 9. d. N. 128. — 10. L. 1, L. 1, et tot. tit. D. de leg. Julia repetund. — 11. N. 8, c. 10, § 2; N. 149, c. 2.

TIT. XLV. — 1. L. 55, C. § 2 Inst. de donationibus. — 2. *Abrog.* L. 12, C. 1; L. 32, § 5, D. de donat. inter viri et uxori. — 3. L. 55, § ult., C. de donationibus. — 4. L. 21, in fin. D. 1; L. 54, C. d. l.

taxat ipsas valere usque ad quantum et non insinuat donationes validas esse a nobis constitutum est. Hoc enim in extremo constituentes, obtinere idem volumus, et non propter adjectionem quantitatis, excidere et id quod recte se habere poterat. Quod quidem et super universitatis donationibus jam lex⁵ nostra dicit. His obtinentibus non solum in viro et uxore, sed etiam in aliis personis, inter quas quæ in matrimonio sunt donationes, prohibentur.

CAP. II.

Secundum etiam insuper capitulum a tua excellentia interrogati sumus, an post constitutionem⁶ nostram volentem ex libera et inscriptio natos quospiam postea liberos propter matris conditionem existentes, oportere existimare, tametsi nec adscriptitii facti sint secundum [jus] antiquum, tamen omnino colonos factos esse; propterea quod alia nostra constitutio etiam colonorum liberos non permittit relinquere terram, sed manere colonos, et multo magis hoc esse oporteat, quandoquidem est in his personis prorsus inscriptiorum prosapia. Hæc igitur in interrogatione erant tua, et hoc erat dictum capitulum. Oportet enim nostram considerantes mentem, nosse quia nunquam nos liberum ventrem parere inscriptitium concessimus, sed symbolum sane hoc et signum superponi oportet genito, post statim positam legem, hoc ipsum scilicet, nempe libertatem convenire ex libera natis matre. Si igitur ex⁷ libera quis et inscriptitio nascatur, manet quidem liber, et maternam non abjicit ullo modo ingenuitatem. Indicat autem a nobis posita constitutio⁸, quæ vult tales habitatores regionum manere, et agrorum cultores, tanquam ibi natos. Hoc enim coloni vult appellatio. Non concedimus igitur ipsis licentiam relinquere quidem regionem, ad alia vero se recipere: sed si quidem omnino nati fuerint quidam in aliquo prædio, si quidem ex adscriptitia matre, manifestum est eos omnino inscriptitios fore: si vero ex libera, manent quidem liberi: et quæ ab his adquisita sunt, sub illis erunt, neque peculium fient dominorum, non egredientur vero ex eo prædio, sed illud colent, neque erit eis licentia hoc quidem relinquere, alia vero circumire aliena, nisi si domini fiant possessionis cujusdam propriæ, sufficientis eos ibi occupatos alere circa seipsam, et non concedentis, et alia colere, et in ea migrare: quandoquidem omnibus modis ipsos manere sancimus in prædio, liberos quidem constitutos, habitatione tamen detentos, et hoc quidem hæcenus constitutum esto.

CAP. III.

Sed neque extra modum visum est nobis, et illud quæsitum nostra dijudicatione dignari. Si enim inscriptitia mulier ad⁹ inscriptitium aliquis prædit ad alium pertinentem venerit conjugium, quæsitum est de prole, si liberi ex his nascentur, utrum deceat ad dominum viri ad dominum mulieris pertinere prolem. Sancimus igitur si quid tale fiat, et conveniant ad invicem diversorum dominorum adscriptitii, quandoquidem ea quæ ad fortunam eorum pertinent non sint in controversia posita, ventre non libero existente, sint quidem progeniti, adscriptitii: non tamen omne dabimus matri neque ejus domino, sed si quidem unus genitus fuerit filius, venter semini præferat, sitque domini matris id quod erit progenitum. Sin duo forte contigerint filii, dividantur ambo, electione per sortem¹⁰ dirimenda. Sin impar sit liberorum numerus: majorem obtineat matris sinus, ita ut si tribus existentibus, duo quidem sint matris, unus vero patris, et rursus si quinque, tres quidem ex genitis sint domini matris, duo vero patris: et secundum hoc incrementum, numerus progrediatur, id quidem quod in æqualitatem dividi potest, dividens ex æquo, quod vero exsuperat, tanquam gratiosius illud distribuens matri. Oportet enim ipsam dignari majore studio, ut quæ et pariterit¹¹ et pepererit, et nutrierit, supra eum qui voluptatis superfluum, pueri fecerit originem.

EPILOGUS.

Quæ igitur hac sacra pragmatica forma comprehensa sunt, tua gloria in similibus casibus custodire festinet. Etenim et communem de hoc scribimus legem, ipsa quidem et alia quædam reformantes, quæ quidem necessariæ legislationis esse credimus. — Dat. 5 idus septemb. Constantinop., DN. Just. P. P. Aug. ARIONE V. C. CONS.

5 d. l. 33. — 6. l. ult. c. de agricolis et censu. — 7. d. l. ult. c. 27; N. 54. 8. Justinus de filiis liberorum in Africa. — 8. d. l. ult. — 9. N. 156. — 10. For. l. ult. pr. c. cœmuni. de legat.; L. 2. c. quando et quibus, quarta pars; L. 14. D. de judiciis; L. 24. §

DE RELEVATIONE TRIBUTORUM PUBLICORUM.

NOVELLA CONSTIT. CLXIII.

PREFATIO.

Præstantissima inter homines bona sunt *justitia* et *benignitas*: quarum altera æqualiter suum cuique tribuit, neque appetit aliena: altera ad misericordiam decurrit, et debitorum incommoditate egentes liberat. Hæc ornare firmareque imperium, hæc conservare rempublicam, hæc pulchre humanam noverunt gubernare vitam. Unde et nobis ex quo divinitus imperii sceptrum suscepimus, magno affectatum est studio, ut undique tam bonis actionibus conspicui simus; quo magis si utiles nos præbeamus subditis, ex virtute et gloria remunerationem habeamus. Ac scimus quidem mutua illa, et omnimoda hominum exitia ad tantam inopiam possessiones redegeisse, ut neque reditus possint suis producere possessoribus, neque satis idonee publica inferre tributa. Atque hæc militari et alio necessario sumptu imminente, vehementerque nos impellente, dum multis undequaque bellis alluimur, ut crebriores pecuniarum collationes faciamus. Inde adeo non semel curas in eam rem impendimus, quam ratione fieri possit, ut et necessitati faceremus satis, et subditorum egestati afferremus remedium: cumque in multis nostra circa hæc distraheretur sententia, magis tamen obtinuit, ut ad benignitatem respiceremus, et Deo placentem collatoribus impertirentur medelam, et quod communibus deesset sumptibus, hoc in ejus vicem introduceretur ex thesauris principalibus.

CAP. I.

Acceptam igitur et hanc nostram curam ferentes domino Christo, et salutaris passionis, neque non sanctæ resurrectionis ejus presentibus magni festi diebus condigna facientes, merito et ipsi in presentia hanc pro republica largitionem offerimus, per quam concedimus in universum omnibus agricolis pariter et collatoribus, (idem autem dicere licet et de prædiorum dominis) integrum unum canonem publicorum tributorum, in quadriennium partiendum: hoc est quartam quidem ejus portionem pro nova indictione proxime iitura, tandem vero alteram et pro decima, quæ hanc secutura est, consimiliter, et pro undecima et *duodecima*, unicuique quartam portionem, una eademque opera diminuentes et consuetudines, quæ quocumque modo aliquibus hoc nomine præbentur.

CAP. II.

Remittimus autem his et præteriti temporis reliquationes, usque ad finem proxime præteritæ quintæ indictionis. Ac sancimus nequa fiat exactio piensissimarum nobis condonatarum prestationum, sive maximam præfecturam respiciant sacrorum orientalium prætoriorum, sive præfecturam Illyricianam, sive præsidatum insularum, atque præfecturam militarium in Scythia et Mysia ordinum, aut sacras nostras largitiones, aut denique alium magistratum: interdentes decurionibus, et exceptoribus scriniariis, et cohortalibus, palatinis, et exactoribus, neque non susceptoribus, et quicumque vel exactorem vel susceptionem publicorum expedit, aut expedit tributorum, ne per vafritionem excogitatis contra agricolas et collatores utantur artibus: aut etiam prædiorum dominos, ut diversos ex reliquis indultis pro se instituant, aut constitutæ pecunie obligationes, aut fidejussiones, aut confessiones dolo malo suscipiant. Constituimus etenim omnem contra munificentiam nostram factam aut futuram circumscriptionem irritam: cum illud constat, quod si qui nostram anteverentes largitionem ex reliquationibus jam inde a quinta indictione factis aliquid exegerint, neque id persolvisse videbuntur: omnibus modis publicis id rationibus inferent. Nam ut collatores beneficio afficeremus, presentem ipsis benignitatem impartiti sumus, non autem his qui publica tributa suscipiunt, et in suum lucrum conferre ea voluerint, presentis ad tempus canonis indulgentiam instituiimus: nullo modo embola¹ (hoc est annua specierum transmissione, ut in condito et ad militares sumptus habeantur) diminuenda. Oportet enim universum frumenti aliarumque specierum modum consueto ac solito more et contribui, et importari: pretiis quartæ partis per singulos annos a nobis usque in quadriennium collatoribus indulte ad mensam publicam cum aliis, quæ in auro ab ipsis contribuntur, æstimandis solvendisque et publico. Idemque hoc in Osroena et Mesopotamia peragetur eorum gratia, quæ pro reconditis et militari sumptu in speciebus conferantur. Consimiliter et in speciebus, quæ ploimæ, quasi navibus transportandæ dicuntur, quæ proveniunt in Lazica,

17. D. de fideicommissa libertat. c. 25, in fin. Inst. de legat. — 11. l. ult. § 1. C. qui potior in pign.

TIT. XLVI. — 1. L. 10. C. de sacra eccles.

et Bosphoro, et Chersoneso, percipient enim harum pretia ex publico, prout in mensis præfectorum ordinatum fuerit, unde hæc importantur, ut et ipsi nostra in hoc perfuantur benignitate. Earum enim specierum illationem negligere, haudquaquam tutum est: cum et inevitabilis existat impensa, et publicas (ut ita dicamus) res in unum conciliet. Credimus autem et ex hac nostra largitione magna reipublicæ incrementa futura. Deo omnia nobis fausta per hujusmodi actiones præbente: ea quæ pro subditorum utilitate a nobis disposita sunt, transcendere præsumptibus, tam de substantia, quam de ipsa periclitandis salute.

EPILOGUS.

Quæ igitur nobis placuerunt, et per presentem sacram declarantur legem: ea programmatis usa gloria tua, tam in alma urbe, quam etiam per provincias omnibus manifesta faciet, ut neminem nostra lateat munificentia.

TIT. XLVII.

DE HEREDIBUS.

NOVELLA CONSTIT. CLXIV.

PREFATIO.

Deo simul et justitia¹ nihil majus existit: absque his enim nihil unquam commode geri potest, et præcipue nostra in hac republica. Exinde enim et recte regnare, et subditos ad benevolentiam, neque non ad summam licet attrahere devotionem. Ea propter cum et nos divinitus, perque justitiam imperii sceptrum suscepimus, tametsi multis undique curis implicamur, quo magis et Romani quotidie virtutibus redantur auctiores, et Barbari devicti succumbant: non tamen penitus a sollicitudine nostra secludimus, ne non in his, quæ privatim usui esse possint subditis, competens accomodetur providentia. Ac cum multa, quæ prius confusa erant, ad meliorem statum erexerimus: conveniens esse putavimus et id, quod longo jam tempore in successione neglectum fuit habitum, ad actionem Deo placentem reducere. Cognovimus enim, quod quidam oberrantes defunctorum perturbant patrimonia, sed² neque testamenta valere sicut, neque item ab intestato successiones locum capere, mobilibus quidem rebus immittentes signacula, immobilibus vero imponentes titulos: ut hac ratione ipsis illorum successio adcreseat, inque ea decentem aliquem ordinem occupent. Quoniam vero impossibile est in tanta multitudine exacte ea quæ singulatim in talibus eveniunt perdiscere: perpulchrum nobis visum est, si generali hæc lege ad certam redigeremus formulam.

CAP. I.

Propterea sancimus, ut universi citra invidiam et rebus juribusque suis perfuantur, et ad suos ista transmittant heredes. Penitus autem nemo omnium illorum invadat patrimonia, aut horum successores damnis implicet, aut titulos³ sive signacula rebus præter legum nostrarum placitum imponat. Nam et successiones ab intestato, quo quisque vocatur ordine, confirmamus: et ultimas horum voluntates legitime consistentes non subvertimus. Si enim sedulo advigilamus, sumusque solliciti, ut collatores bonis gubernentur legibus, et de eorum incoluntate multo maximam potentia nostra curam sustinet: quomodo non in hanc quoque partem providentiam ipsis accomodaverimus, et alacriter nostrum ipsis impertiamur beneficium? hæc etenim placere Deo persuasissimum habemus, et hoc justitiæ munus esse asserimus: persuasissimum quoque est imperium per hæc nobis undique munitum et quietum futurum. Connumeratorem itaque et hæc nostra lex cæteris præclaris nostris facinoribus: et subditi pristinis liberati molestiis, et tanta a potentia nostra dignati providentia, Deo simul et post illum nobis gratias agant: divinum nomen placantes precibus, ut devictis hostibus, aliam insuper et majorem ipsis securitatem impertiamur.

EPILOGUS.

Quæ igitur nobis placuerunt et per hanc sacram declarantur legem, ea conservant tam gloriosissimi sacrarum domuum curatores, quam quibus vel maximorum, vel etiam minorum gerendorum magistratum cura sive in alma hæc urbe, sive item in provinciis commissa est, publicationem honorum iuxta et supplicium formidantes capitis, si sancta nostra

TIT. XLVII. — 1. N. 165, in pr. — 2. N. 154, c. 3. — 3. N. 17, c. 15; N. 28, c. 5, § 1; L. 2. C. ut nemini liceat sine judic. auer. — 4. For. N. 150, c. 6, § 1; L. pen. C. de defensor. civitat.; L. 2. C. de annali except.

TIT. XLVIII.

GENERALIS FORMA DE PROSPECTU IN MARE, SCRIPTA DOMINICO GLORIOSISSIMO PRÆTORIORUM PRÆFECTO.

NOVELLA CONSTIT. CLXV.

Docuit nos mater, etc. Prospectus in mare, qui intra centum esse pedes solet, non solum per directum, sed ne per transversum quidem, impediri novo debet opere, hoc enim presens forma adjicit, tum Zenonis constitutionem custodiens, tum Novellam interpretans.

Hæcenus editæ Novellæ extant, aut apud veterem interpretem, aut Haloandro aut Scring. aut Julianum. Trium sequentium titulos ex Haloandro aut Augustino, verba vero, ac quid sibi singula breviter velint, quando a nullo adhuc conversas certum est, ex doctissimo Cujacio hic excudi curavimus.

orma¹ præfectorum prima.

TIT. XLIX.

DE ADJECTIONIBUS, ID EST, DE PRÆDIORUM STERILIORUM AD FERTILES IMPOSITIONIBUS.

NOVELLA CONSTIT. CLXVI.

Hæc est fere sententia hujus constitutionis.

Si defunctus justa ex causa fundum aut territorium aut compositionem² alienaverit, et moriens residua bona liberis vel extraneis heredibus reliquerit, qui ex eis similiter prædia quædam alienaverint, ex quibus possidente emptore aliquot forte postea defecerit, ita ut locus sit *ἐπιβολῆς*³, quam prædia sustinent, quæ sunt ex eadem substantia et origine, L. 10 et 12, C. de omni agro deserto, ut ne defecti vel deserti prædii onus irrogetur simul ejusdem substantiæ prædiis omnibus, sed cæteris primum prædiis quæ possidet is qui ea emit a liberis vel extraneis heredibus defuncti: vel, si hic idoneus non sit, heredibus defuncti, id est, prædiis quæ possident heredes defuncti ex eadem substantia: aut si forte hæc etiam non sufficiant publicæ collationi, tum ut onus transferatur ad alia defuncti bona, quæ ad alios quam ad heredes pervenerunt. Ad eum igitur qui fundum aut compositionem a defuncto emit, ut possimus initio. Idemque dicendum est, si ea prædia per plures successiones transierint. Quamdiu enim proximiores sive posteriores possessores idonei sunt, *ἐπιβολῆς* antiquioribus non irrogatur, id est, defecta prædia eorumque tributa antiquiores possessores non agnoscent: quod si ejusdem gradus et ordinis plures sint possessores quibus injungi *ἐπιβολῆς* oporteat, ut inter eos oneris divisio non fiat ex æquo, sed pro rata fertilitum bonorum quæ possident ex eadem substantia.

Forma PP. vicesima quarta.

TIT. L.

GENERALIS FORMA DE POSSESSIONE, QUOMODO OPORTET MITTI IN EAM, BISSI GLORIOSISSIMI PRÆFECTI.

NOVELLA CONSTIT. CLXVII.

Hæc est hujus constitutionis sententia.

Ex sententia judicis non recte apprehenditur nisi possessio vacua, et quam in urbe quidem vacuum esse exequutorum testimonio adseverent, in provinciis acta defensorum plebis vicinorum testimonio confirmata. Et similiter ex contractu in provinciis quoties quis ingredi possessionem desiderat, acta apud defensores civitatum fieri debent traditæ possessionis, simul ac consentientium voluntati tradentis, novoque domino colo-

TIT. XLVIII. — 1. N. 65.

TIT. XLIX. — 1. L. 2. C. de offic. præf. prætor. Orient. — 2. L. 54, § 1. D. de legat. 2. § 1. 30, § 1. D. de adimend. vel transf. legat. — 3. N. 168.